



DE  
**BIBLIOTHECIS PATRIARCHARVM**

STRICTIM EXPONIT

ET  
AD ORATIONEM  
ANNIVERSARIAE MEMORIAE  
BENEFICII

**ECCARDO - RICHTERIANI**

DESTINATAM

OFFICIOSE

INVITAT

**M. IO. GOTTL. BIDERMANN**

RECTOR.

**FREIBERGAE,**

Litteris SAM. FRIDER. BARTHELII.

**CXXXII.**

3) in Aug. e. XLIX.      2) Libr. I. Sp. 3.      1) in Carlsp.

Quum nuper in SVETONII commentariis a) legerem, Augustum imperatorem pro suo in litterarum studia amore Apollini, scientiarum praefidi, non modo templum in monte Palatino extruxisse, sed etiam porticum cum bibliotheca graeca et latina addidisse, dubius aliquamdiu atque anceps haesi, utrum hi libri Apollinem auctorem habuerint? an vero his verbis indicetur, eos honori huius dei dedicatos fuisse. Et illa quidem sententia eo firmari videbatur, quod homines profani, fidem adque auctoritatem libris suis conciliaturi, adfirmare non dubitabant, consilio ac instinctu deorum eos esse inspiratos, quemadmodum nos de libris sacris persuasi sentimus. Cum qua opinione ea inscriptio fere consentit, quae Romae in aedibus Maffeiianis iuxta thermas Agrippinas in tabula marmorea adhuc legitur, his verbis concepta: SVLPICIAE. THALVSAE. ANTIOCHVS. TI. CLAVDI. CAESARIS. A. BIBLIOTHECA. LATINA. APOLLINIS. CONIVGE. SVAE. BENE. MERITAE. et quo sensu HORATIVS commemorat

*Scripta Palatinus quaecunque reponit Apollo. b)*

Sed nexus verborum explicationem posteriorem priori omnino praefereendam suadet, quamvis Apolline indignum non censeam, statuere, quod ille ingenii diuini monumenta cum hominibus communicauerit, quippe qui Musarum antistes, artium inuentor, carminum auctor, et uaticiniorum praefes quaqua- uersum celebrabatur. Nos vero, qui doctrina caelesti imbuti sumus, proximum a deo et geniis caelestibus sapientiae gradum iure meritoque patriarchis vendicamus, a deo ipso institutis, et familiari eiusdem colloquio usis, quod Moses, scriptor omnis fraudis expertus, certissimis testimoniis passim confirmat. Haec autem illorum scientia sequiori aetate tot fabularum commentis a scriptoribus profanis pessime est interpolata, et tot libris supposititiis amplificata, ut prolixam patriarcharum bibliothecam in medium adferre facili negotio possimus.

Primus in scenam prodeat ADAMVS, homo omnium primus, humani generis auctor, et diuinae dignitatis expressissima imago, cuius sapientiae perfectae clarissima documenta non solum historiae sacrae ob oculos ponit, sed etiam scriptores profani admirantur. Ita enim PLATO; c) quanto ingenii praesidio opus habuit primus homo, verba inventurus, quibus loqui et scribere

a) in Aug. c. XXIX.

b) Libr. I, Ep. 3.

c) in Cratylo.

scribere posteris debebant, et res omnes nunquam vel visas vel auditas convenienter appellare? Ita SVIDAS: d) quid hac sapientia et cognitione sublimis? Adam appellavit omnia animalia eo nomine, quod naturae eiusdem respondebat. Quam sapientiam quam animus humanus per se non capiat, fuerunt, qui DEVM singularem librum Adamo dictasse, statuebant, ex quo hic didicerit, quid faciendum esset et fugiendum. Hunc autem librum חכמת אדם, h. e. generationes Adami: inscriptum, eundem esse, putant, quem Moses allegat. e) Ex quo SCIPIO SGAMBATVS particulas quasdam communicat, f) et quem ab Adamo Henochio traditum esse, idem suspicatur. g) Ipsum vero Adamum postea praeceptis à deo mandatis ita operam navasse, ut litterarum monumentis consignarentur, Maimonides, Abarbanel et auctor libri Ialkut his verbis testantur: h) חכמת אדם אשר כל מצות ה' e. Adam pater noster omnia praecepta libro complexus est, quem Deus illi tradidit in horto Eden. Imo sunt, qui librorum ab Adamo scriptorum non solum argumenta, sed et molem et modum describere audent. Nam Iudaeorum doctores narrant, i) Adamo in Paradiso versanti, codicem ab angelo Raziel adlatum esse, qui omnem divinae sapientiae disciplinam continebat: et, quoties Adamus in eo legit, toties genii caelestes aduolarunt, cum admiratione ea auscultantes, quae ipsi ignorabant, discedentes vero ex psalmo verba repetierunt: k) exaltare o Deus, super caelos, et gloria tua super terram universam. Alium librum de terrae cultura Iudaei Adamo adfingunt: l) et praeter hunc Adami Apocalypses EPIPHANIVS commemorat, m) quas eccleses AVGVSTINVS appellat. n) Illum vero librum, quem de sua ipsius vita Adamus contexuisse perhibetur, Georg. SYNCELLVS in compendio exhibet, cuius fini haec verba subnectit: ταυτα ἐκ τῆ βίβλ λεγομενη Αδამ ἐν συντομῃ ἐπιχειροσωμεν, h. e. haec ex vita, quae ita dicitur, Adami succincte concinnauimus. Circumfertur etiam liber Adami, de poenitentia, cuius argumentum Ath KIRCHERVS ex manuscripto Arabico his verbis exponit: o) Adamum animo repetentem, quanta felicitate excidisset, et quantas miseras incurrisset, voce, oculis et manibus ad

d) in voc. Αδამ.

e) Gen. V, 1.

f) in Archiv. V. T. p. 105.

g) p. 112.

h) in Commentar. ad Gen. 5.

i) in Avodat

hakkodech cap. 1. fol. 80.

k) Ps. LVII, 6.

l) in More Ne-

vochim III. 29. p. 442.

m) in haeresi Gnostice. XXXI, 8.

n) in Chronic. p. 5.

o) in Obelisc. Pamphil. L. L. c. 1.

ad caelum eleuatis à Deo aliquod malorum remedium petiisse: tertia autem post preces factas die angelum Raziel caelitus uenisse, illique librum porrexisse, igni candenti similem, sed nigris litteris exaratum, ex quo intelligere et scire poterat omnia, quae sunt, fuerunt, et futura instant, etc. Porro Adamo ad fingitur compositio psalmi XCH. quod ex uerbis Rabbini adparet: p) Exiuit Cain laetus à Deo, postquam fratrem occiderat; cui Adam occurrit, quaerens; quo pacto tua res in iudicio tibi cessit? respondit Cain: poenitentiam egi, et deum placavi. Quo audito, statim Adamus psalmum sabbathi, (qui est nonagesimus secundus) decantauit; qui incipit: bonum est, confiteri domino. Ad quam narrationem R. LEVI haec uerba addit; hunc ipse psalmum Adamus composuit, et quia posteri eum obliuioni dederant, Moses eundem Adami nomine renouauit. Scientiam etiam auri comparandi et metallorum corrigendorum Adamum singulari libro persecutum esse, huius artis admiratores et cultores multa cum confidentia gloriantur. Audiamus, quid MART. DELRIO de hac sententia censeat. Ita uero ille: q) chrysopopoiae originem quidam ualde faciunt antiquam, imo praeclearo Adami titulo libellum nobis obtrudere conantur. Illos uero, qui perhibent, Esdram hunc librum restituisse, ad librum Esdrae apocryphum pronocantes, r) ANTONIUS VAN DALEN pro merito exagitat. s) Neque ille liber silentio est praetermittendus, quem de mundi duratione Adamus scripsisse perhibetur, de quo R. MENASSEH BEN ISRAEL ita exponit: t) *diuini nostrae religionis theologi, Cabalisticæ, quos etiam Plato in Timaeo sequutus est, statuunt, mundum inferiorem quibusque septem mille annis, caelum autem quinquaginta annorum millibus, nouo mundo et nouo caelo locum factura esse: et hoc aiunt peculiari libro Adamum Setho, hunc Henocho, hunc Noacho, hunc Semo, et hunc Hebraeorum patriarchis tradidisse. Tandem etiam Testamentum Adami proflat, peculiari libro publicatum, quod morti uicinus fecit, de quo SGAMBATVS u) haec refert: Adam uident, uitae suam sibi imminere, arreptum manu filium ad locum orationis adduxit, eique dixit: Dei praeceptum habeo, ut tibi faciam testamentum. Et statim aderat angelus Gabriel cum septuaginta millibus angelorum, quorum singuli albis chartis et calamis ex paradiso decerptis instructi erant. Scriptum igitur*

p) Breschit. Rabba ad Gen. IV.

q) Ditquisitt. Mag. L. I. c. V. p. 70.

r) 4. Esr. XIV, 44.

s) Diss. de historia Aristeae p. 56.

t) in

Conciliatore. p. 39.

u) l. c. p. III.

igitur Adamus testamentum relinquebat, testimonio angelorum confirmatum, et Gabrielis sigillo munitum. Plures libros, quos ab Arabibus Adamo adfictos HOTTINGERVS recenset, w) et inter eos Adami tabulas abcdarias, de diaeta, et vaticinia de mundi fati futuris, etc. iam suo loco relinquimus, ne spatium ceteris patriarchis intercludatur.

Non autem Adamo soli, sed EVAE etiam certi libri tribuuntur: inter quos EVANGELIVM EVAE primo loco ponimus. Quod vero EPIPHANIVS non sine causa arbitratur ab haereticis saeculi à Christo nato secundi, Gnosticis, eo consilio esse excogitatum, x) ut cognitionis nomine (ex quo Gnostici adpellantur,) perfidiae suae semina spargerent. Eidem liber prophetiarum adscribitur, qui fata cum veteris tum noui testamenti, animo praevifa, complectitur, et quem Th. BANGIVS recenset. y)

Ex filiis primorum parentum ABEL inter auctores librorum refertur. Nam si fabula vera est, hic de virtutibus planetarum et usibus omnium rerum mundanarum commentatus est. Qui liber ab auctore ad Hermetem Trismegistum, et ab hoc ad Thomam DE AQUINO pervenisse dicitur. z) Quid autem Cora. AGRIPPA de eo senserit, haec eius verba docent: a) ex horum gœteticorum anagyri omnes isti tenebrarum libri profluxerunt, quos improbatæ lectionis ICTUS Vlpianus adpellat, protinusque corrumpendos statuit: cuiusmodi primus excogitasse dicitur Zabulus, illicitis artibus deditus, deinde Barnabas quidam Cyprius, (quo nomine Bariesum vel Elymam intelligit, in Actibus apostolicis commemoratum, a) et qui etiam nunc sub nomine Abelis circumferuntur. Cui sententiae Io. WIERVS suo suffragio subscribit. b)

Sequitur SETHVS, qui non tantum litteras Hebraicas inuenisse, verum etiam signa caelestia certis nominibus insignivisse, conversiones annorum docuisse, menses autem, septimanas, et dies ordinasse perhibetur. Eundem vero, ne ab se inuenta obliuioni traderentur, duas columnas fecisse ferunt, alteram ex lateribus, alteram autem ex lapidibus, ut, si illa ab imbris destrueretur, haec ad posteros conseruaretur. Haec IOSEPHVS refert, c) quem vero Steph. LE MOYNE d) verbis, quae Graecæ conuertit, Hebraicis

w) Hist. Orient. L. I. c. 3.

y) in Caelo orient. p. 103.

a) de Vanit. scient. c. 45.

c) Antiquit. Iud. L. I. c. 2.

x) in haeres. Gnost. XXXVI. nu. 2.

z) Maierus in Symbol. L. I. p. 10.

b) de praestig. dom. L. II. c. 3.

d) in Var. Sacr. T. II. p. 564.

Hebraicis deceptum fuisse, putat, ex אֵן שֵׁטָה, h. e. *lapide fundamenti*, columnam Sethi exculpendo. Huius autem inter libros ille primum locum obtinet, quem *de stella in ortu Messiae adparitura* composuisse legitur. e) Alium, qui Sethi nomen in fronte gestat, patriarcha Antiochenus, STEPHANVS PETRVS in litteris ad Huntingtonum, Anglum, datis, his verbis indicat: *in quante à quel che ci significa V. S. del commento di S. Efrem, del Lexicon Bar Bahlul et il libro di Seth, circa P ultimo non è possibile, che ci le mostrino essendo ciò appresso di loro proibito et il Lexicon di Bar Babul e opera molto stesa imperfecta, etc.* f) Praeter hunc alium Io. Euf. NIEREMBERGIVS commemorat, g) in regno Castiliae, Toleti anno 1243. inuentum et quidem Hebraeo, Graeco et Latino sermone conscriptum, in quo *de triplici mundo*, ab Adamo usque ad Antichristum exponitur, principium vero tertii mundi his verbis auspiciatur: in tertio mundo filius Dei ex virgine nascetur, et pro salute hominum patietur. Ne quid de Mohamedanis nunc dicam, qui Setho quinquaginta libros caelitus missos, fabulantur. h)

Hunc ENOS excipiat, quem tradunt librum *de vera religione* et iustia ratione Deum precibus colendi confecisse, i) decepti sinistra interpretatione verborum Moïsi: k) או הוהל לקרא בשם יהוה h. e. *tunc coeperunt homines publice nomen Iehovae invocare.* Cuius sententiae adscelae versionem Targumi Ionathanis in patrocinium advocant, ubi verba allegata ita transferuntur: tunc homines in nomine Dei precari et scribere coeperunt. Haec igitur explicatio tantum fidei meretur, quantum opinio ROVLDVCCI, qui Enosum auctorem vitae solitariae et religiosae facit, vocem לְנִי־לִים l) per eos explicans, qui prostrata in terram facie alium adorant, עֲבָדִים vero in viros ex ordine torquatorum mutans, verba: הַמֵּה הַגְּבוּרִים אֲשֶׁר מְעוֹלִים אֲנָשֵׁי הַשָּׁם ita transfert: *hi sunt sanctitate et religione strenui, et quidem a saeculo, (h. e. ab hominibus) remoti et in solitudine viventes, Enosi nomine dicti.* m) Quis vero, sana iudicandi facultate praeditus, tam cruda interpretamenta concoquat?

Huic

e) Auct. imperfecti operis in Matth. homil. 2.

f) vid. litterae Hunting-

tonianae, (Lond. 1704.) p. 109.

g) de Origine S. Scripturae L. II.

e. 14.

h) Relandi Compend. Theol. Mohem. p. 73.

i) Gene-

brardus in Chorograph. L. I. p. 10.

k) Gen. IV, 26.

l) Gen.

VI, 4.

m) Boulducius de eccles. cap. XI.



Huic addimus HENOCHVM, patriarcham ea vitae integritate probatum, ut vivus ad caelites transferretur, et cuius scientiam historicam, mathematicam, atque astronomicam veteres scriptores certatim extollunt. Huius librum *de secretis stellarum virtutibus*, versibus 4082. conscriptum ORIGENES egregie commendat, quem Abyssinii in bibliotheca monasterii S. crucis in monte Amara adservari, gloriantur, à regina Sabaea inter cetera Salomonis dona domum reportatum. n) Plura litterarum monumenta, quae Henocho adscribantur, Io. Alb. FABRICIVS longa serie recenset: o) quae quamvis merito pro fictis et spuris habeantur: ea tamen, quae vir divinus, apostolus Iudas, de eo narrat, multos eam in sententiam adduxerunt, hunc patriarcham reuera librum litteris consignasse. Haec scilicet ille: p) *προς Ορτηυση δε και τριτοις εβδομος απο Αδαμ Ενωχ λεγων* etc. Quae verba AVGVSTINVS animo atque oculis contemplan, ita pronuntiat: *Heno-chum nonnulla scripsisse, negare non possumus, quum Iudas apostolus hoc in epistola canonica fateatur.* q) At enim vero, pium hunc ecclesiae doctorem ita sentiendo aliquid humani passum esse, dissimulari non potest. Nam apostolus loco citato Henochum quidem uaticinatum esse, non autem librum scripsisse, adfirmat: quae duo separari posse, neque necessario alterum eum altero esse coniunctum, testimoniis apertis constat r) Plura vero de hoc argumento legere cupienti Th. BANGIVS sitim restinguet: s)

Sequitur IACOBVS patriarcha, et pater universae gentis Iudaicae, quem sapientia multifaria instructum inprimis autem doctrinae caelestis ac rerum sacrarum peritissimum fuisse, MENOCHIVS ex eo colligit, t) quod dicitur in tabernaculis habitasse: scientiam vero causarum naturalium eundem probe calluisse, ex virgillis de corticatis conicit, quas onibus parituris in aquis spectandas objiciebat. Quod vero etiam libros composuerit ad posteros transmissos, facilius dicitur, quam probatur. Inter hos ille refertur, qui *Scala Iacobi* inscribitur, in quo ipse repraesentatur somnium suam de scala per quietem visa copiosis verbis exponens. Quem vero ingenii fetum EPIPHANIVS ab haereticis Ebionitis confictum esse, non sine causa suspicatur. u) Eiusdem pretii est *Testamentum Iacobi*, quod Pontifex Rom. Gelasius I.

n) conf. *Vockerodt* Hist. scient. et rei litterariae mundi primi p. 170. o) Cod. Psendep. V. T. p. 16c. fqq. p) Ep. Iud. v. 14. q) de Civ. Dei L. XV. 23. r) Joel. II, 28. Ies. XLIV, 3. Act. II, 17. XI, 12. s) in Cael. Or. p. 16. fqq. t) de republ. Hebr. L. X. c. I. Qy. 2. u) ad verf. haeref. L. I. Sect. 31.

inter libros apocryphos referri iussit. w) Et eundem Iacobum singulari libro illum lapidem descripsisse, quem post visam scalam in Bethel crexit, illumque *Titulum Lapidis* inscripsisse, SIXTVS SENENSIS quidem narrat, x) simul autem, quid hac de narratione sentiat, his verbis haud obscure prodit: *Virum titulus ille scriptura fuerit in lapide excisa, an vero lapis absque ulla scriptura erectus ad perpetuam conspectae visionis memoriam, non satis est manifestum.*

(o) His adderem aliorum patriarcharum libros, e. g. MATHVSALAE proverbialia et traditiones, y) NOACHI libros de cultu diuino, agricultura, et cataclysmo universalis, z) SEMI librum de medicina, quem bibliotheca Bavarica ostentat, a) ABRAHAMAM varios commentarios astrologicos, onirocriticos, itemque libros de creatione, magiae diuersis modis atque effectibus, idololatria, etc. b) nisi chartae angustia limites, quibus haec scriptura continetur, pedem me hic figere, et illud institutum indicare iuberet, quod leges scholae imperant, et memoria beneficiorum publica grato animo recolenda desiderat. Et quis hoc officio pietatis munificentiam ECCARDO-RICTERIANAM non censeat dignam, qua aliquot scholae Freibergensis alumnis quotidie victus liberalis paratur, hoc praesertim tempore, quo graui annonae caritate uniuersa patria premitur et tantum non opprimitur. Quod dum conuictores pia mente recogitant, bene sentiunt, quo loco illa liberalitas sit habenda, et quantum honoratissimis granissimisque SCHOLAE INSPECTORIBVS debeant, qui omni cura prospiciunt, ne fons illius vel turbetur, vel obstruatur. Vt igitur testata huius beneficentiae memoria proflet, unus eorum, qui hac munificentia adhuc fruuntur, isque tam morum probitate quam industriae laude prae ceteris commendandus,

IOH. DANIEL FLEISCHER,

Pretschendorf. Misn.

animum et cogitationes ad ea intendens, quae nostra aetate in Graecia geruntur, oratione Latina *de Graecia olim Christiana* exponet. Quem ut Vos, PATRONI ac FAVTORES, cras, hora ante meridiem nona audita, beneuole audire, et scholae nostrae alumnos praesentia uestra excitare velitis, etiam atque etiam rogamus. P. P. *Freibergae*, a. d. XVII. Iun.

A. R. S. MDCCLXXI.

w) vid. Decret. Gratiani, Distinct. 15.

x) Biblioth. Sanct. L. 2.


y) *Sgan-*

bat. in Archiv. p. 139.

z) *ibid.* p. 143.

a) *Fabric.* 1, c. p. 290.

b) *id.* l. e.





Yb 627

22

ULB Halle  
001 508 164



3

(811148)

TA-204

VD 18



inches  
1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

DE  
BIBLIOTHECIS PATRIARCHARVM

STRICTIM EXPONIT

ET

AD ORATIONEM  
ANNIVERSARIAE MEMORIAE

BENEFICII  
*ECCARDO - RICHTERIANI*

DESTINATAM

OFFICIOSE

INVITAT

M. IO. GOTTL. BIDERMANN

RECTOR.

FREIBERGAE,

Litteris SAM. FRIDER. BARTHELII.

CXXXII.

in Aug. c. XXIX.      b) Libr. I. Ep. 3.      c) in Carolo.

